

TENTAMEN III.

*Experimenta quædam nova circa Baroscopium, Plana
polita, Capsulam orichalceam &c. Parte I. Colleg. Curiosi
Tentam. III. & IV. descripta promiscuè
complectens.*

I.

Quemadmodum in Tentam. III. Part. I. num. III. nota-
vimus, Tubum Torricellianum aquæ stagnanti im-
mersum loco Mercurii delapsi subitò recepisse aquam ad tu-
buli summitatem usque subsilientem; ita rem eandem cum
laetè nunc tentare lubuit. Repletum igitur argento vivo Phæn. I.
Tubulum ac decenter inversum patellæ laetis plenæ immer-
simus, remotoque digito, qui haetenus orificium Tubi obtu-
raverat, delabi Mercurium & lac ascendere pariter, ut ante-
hoc aquam, vidimus, sed multò segniùs ac morâ temporis
interiectâ longè majore, dum lac & Mercurius sibi difficiliùs,
nec sine spumosâ sui miscelâ, cedebant.

II. Repletum ita laetè tubulum in apertum aërem
protraximus, vidimusque lac non minus atque aquam in
tubulo erecto suspensum teneri; obliquato verò tubo pro- Phæn. II.
fluere illud, ac filatim quidem spectavimus, cùm aqua vix
guttatim emitti possit admisso aëre: aliâ vice tamen, iterato
hoc eodem experimento, tubulus etiam inclinatus lac nihilo
faciliùs, quam aliàs aquam dimittebat.

III. Experturi porrò quid futurum esset de laetè, si Tu-
bulus in aquam dimitteretur; tametsi conjicere in promptu
Videbatur, ab aqua magis adhuc quam ab aëre suspendi lac
debere, tamen omnia alia contingere admirabundi spectaba- Phæn. III.
mus. Vix enim tubuli labra superficiem aquæ stagnantis
attigerant, cùm ecce lac confestim instar candicantis nube-
culæ